

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

QUID MELISSA HODIE NARRAT ?

... res civiles : institutio scholaris multum pendet a politicis propositis.

☞ p. 2

... res subaquaneas... et historicas : agitur de nave sexti decimi saeculi thesauris referta, quae non ita pridem reperta est.

☞ p. 3

... res simplicissime scriptas : series continuatur, qua tractamus de speciebus aromaticis. Hodie: piper.

☞ p. 6

... res anthologicas : commentarios iam novimus, quibus tituli fuerunt "Alaudae", "Latine", "Janus". Ecce nunc "Iuventus".

☞ p. 8

... res poeticas : e quibus aliae sunt gratulatoriae, aliae melancholicae, aliae lusoriae.


☞ p. 11

... res internationales : Arpini totius Europae discipuli nuper congregati sunt propter Certamen Ciceronianum.

☞ p. 14

... res scholares : duae discipulae vobis proponunt fabulam, quam e narratione Ovidiana adaptaverunt.

☞ p. 15



DE SCHOLARI INSTITUTIONE PRIVATA

Post symbolam «de institutionis scholaris proposito» in Melissa divulgatam nonnulli suam sententiam de hac re nobis patefecerunt, sive inter sessionem Latinam iterum frequentem Bruxellis die 20 m. Maii habitam, sive litteris, ut Iohannes Dayez, magister Francogallus qui linguam Latinam ad fines septentrionales Francogalliae docet.

Qui scribit se in Melissae 65° fasciculo mirantem legisse nuntium Dominici Pillet, qui non solum litteras Latinas miserat ad Francogallicum administrum Educationis Nationalis Bayrou, sed etiam responsum acceperat. Iohannes Dayez eodem honore non visus est dignus. Narrat enim administrum publicum Bayrou superiore anno epistulam circummisisse ad collegiorum magistros, qua eorum cogitationes de statu institutionis in collegiis postulabat. Iohannes Dayez, in experientia sua nitens, longum, lautum, disertum responsum misit, sed ei et ceteris multis magistris qui responderunt ne renuntiatum quidem est eorum epistulas acceptas esse.

*
* *

Referam nonnulla Iohannis Dayez argumenta. Memorat «Collegium unicum»¹, non ita pridem creatum a praecedenti administro Educationis Nationalis nomine Haby, innumerabilia detrimenta genuisse: magistros, parentes, discipulos, inspectores omnes sua signa perdidisse. Semper innovandum esse sine stabili proposito praeter hoc unum, ne discipuli repulsam ferant. Huius incuriae rationem nemini esse reddendam. Quibus novis condicionibus neminem discernere valere cuiusdam repulsae causam: sitne mala paedagogia, an programma discipulo non aptatum, an eius fundamenta infirma, an mens imbecilla, an solum pigritia...

Ante Collegium unicum, maiorem diversitatem discipulis propositam esse, aptam ad studia sive longiora sive breviora, sive magis intellectualia sive magis technica. Hodiernam classium heterogeneitatem non solum detrimentosam esse, sed insuper non ubique aequalem: minorem mediis in urbibus, multo maiorem in suburbiis. Inde nonnulla collegia evadere ad qualitatem superiorem et cetera ad qualitatem inferiorem.

Praeterea Iohannes Dayez monet scholam eundem morbum pati ac ambientem societatem humanam; laxitatem intellectualem iam non esse

tolerandam (ne discipuli in classem superiorem immerito admittantur), laxitatem educationis esse refrenandam (ne omnia discipulis permittantur, id est praecipue modus se gerendi insociabilis vel exitiosus).

*
* *

Cum plerique magistri huic iudicio stent, idem interrogat cur regentes politici his vocibus maneant surdi. Ego respondeo unam esse causam, quae vocatur «electoralismus»². Factiones politicae, si gubernationem re vera petunt, fiunt «electoralistae»³. Hac de causa eorum programmata inter se vix differunt atque hoc commune habent, quod multitudinem capere conantur promittendo et mentiando. Hic non est fusius tractandum de vitiis nostrorum regiminum, sed haec introductio necessaria est si intellegere volumus cur electi regentes multa imponant quae peritiores expertioresve pro pessima habent. Haec tyrannia eorum, qui suffragiis electi sunt, merito vocanda est «elitismus», contra significationem hodie acceptam huius neologismi.

Experti magistri favent «selectioni», quam re vera imponit ipsa natura humana. Homines inter se valde differre omnibus constat, exceptis eis qui fallaci dogmate egalitarismi⁴ caecantur. Infeliciter veteratoribus politicis prodest egalitarismo favere, quamquam eo multa detrimenta gignuntur nec magis aequales fiunt cives. Selectio aptiorum est via naturalis; eam humane gerere est munus boni regiminis, cui curandum est de singulorum civium sublatione atque de rei publicae prosperitate. Haec tamen via ingrata est obcaecatae multitudini.

Recordemini oportet superioribus saeculis institutionem scholarem creatam esse, non a regentibus, sed a clericis variorum ordinum. Tunc temporis erat institutio privata, non publica. Post Francogallicam rerum mutationem, «Instructio publica» creata est et aere publico sustentata. In initio adhibita sunt ea ipsa programmata, quae decursu temporum elaborata erant in collegiis privatis. Sed sine mora regentes intellexerunt quantum sibi prodesse posset institutio et obligatoria et insuper gratuita facta. Imprimis in re publica Francogallica modo proclamata regentes novi, impellente abbate Gregorio, institutione publica usi sunt ad linguam Francogallicam imponendam atque inculcandam omnibus



adulescentibus. Diu tamen, id est usque medium vicesimum saeculum, scopus magistrorum, etiam publicorum, fuit discipulos ad res intellectuales aptiores seligere et ita docere ut excultiores fierent. Plerique regentes tunc temporis fructi erant hac exquisita institutione atque respiciebant culturam animi sibi traditam.

Post alterum bellum mundanum res paulatim mutatae sunt. De causis huius mutationis hic non tractabo, sed patet finem institutionis omnino subversum esse: iam non licet excultiores iuvenes formare. Scopus institutionis publicae nunc est iuvenes hoc tantum modo educare ut fiant cives «utibiles» (Fr. «employables»).

Temptatio educationis adhibendae ad civium mentes conformandas secundum normam a regentibus excogitatam non est nova. Complura regimina tyrannica hoc fecerunt vel adhuc faciunt sua effrenata potestate abutentia. Mirandum est quod in hodierna Europa, ubi proclamatur civium libertas agendi atque cogitandi, regimina democratica idem insidiosae facere conantur ac regimina tyrannica. Propterea quod institutio est gratuita, regimen ius sibi arrogat programmatis

omnibus scholis imponendi. Hoc est intolerabile. Ius educandi pertinet ad parentes. Cum ipsi totam rem suscipere non valeant, oportet partem delegare possint scholae suis votis aptatae. Institutio liberalis sola format mentem liberam. Eis, qui hoc persuasum habent, solum restat ut scholis privatis condendis faveant pecuniamque bis erogent, cum vectigalia iam solvant ad captivam institutionem publicam sustentandam.

Gaius LICOPPE

ADNOTATIONES

- 1 Idem est ac «Schola comprehensiva» in Germania creata, de qua rettulimus in *Melissae fasciculo* 65°.
- 2 *Electoralismus*: modus se gerendi earum factionum politicarum, quarum theses et programma ad hoc unum tendunt, ut electores alliciantur.
- 3 *Electoralista*: is, qui secundum electoralismum se gerit.
- 4 *Egalitarismus*: doctrina qua hominum aequalitas civilis, politica socialisque promovetur.

DE NAVE SANCTI DIDACI

NARRAT GAIUS LICOPPE

Usque ad mensem Ianuarium huius anni per quattuor menses licuit mirabilem expositionem Parisiis lustrare, cuius titulus Francogallicus fuit: «On a retrouvé le trésor du San Diego!» (i.e. «Repertus est thesaurus Sancti Didaci!»). Quae expositio instructa erat in Magno Macello Villetae (v. la Grande Halle de la Villette), ubi olim caedebantur greges armentorum. Hoc ingens ferreum aedificium postea adaptatum est ad expositiones faciendas, etiam rerum maximae amplitudinis.

Quo modo haec expositio fieri potuerit, est narratio singularis atque meo sensu attractiva, quae necessario incohatur brevi historia Insularum Philippinarum.

*
* *

Constantinopoli a Mahometanis anno 1453 capta, omnis aditus commercialis ad res exquisitas

pretiosasque, quas Asia gignit, Europaeis intercludebatur. Audaces navigatores Portugali¹ novam invenerunt viam ad Asiam, eamque maritimam; anno enim 1487 Bartholomaeus Diaz ad meridionalem extremitatem Africae pervenit; qua praeterita accessus dabatur per oceanum Indicum ad Asiam meridionalem et orientalem.

Haec via solis Portugalis patebat. Quare pro regibus catholicis Hispaniae Christophorus Columbus, nitens in notione iam antiqua sed memoria diu elapsa sphaericitatis Terrae, ab Hispania solvit ad occidentem versus, ubi censebat se inventurum esse Asiae orientalis litora. Traiecto oceano Atlantico, anno 1492 Columbus non statim comperit se ad Asiae litora non appulisse, sed impeditum esse ne ea attingeret ingenti obstaculo, quod nonnullis annis post appellatum est America.

Anno 1494 Hispani et Portugali arbitrio Papae Alexandri VI usi terras in posterum inveniendas inter se partiti sunt. In hoc foedere ex oppido

Melissa subaquanea

Tordesillas nuncupato agitur de terris inveniendis in longinquissimis occidentalibus regionibus: linea arbitraria ducitur ab utroque orbis terrarum polo, quae ab insulis a Promuntorio Virenti nuncupatis 370 leugis distat ad occidentem versus; citra hanc lineam omnes terrae inveniendae erunt in Portugalorum ditione; ultra hanc lineam in Hispanorum.

Sic factum est ut Hispani pro se haberent totam Americam modo inventam, praeter angulum orientalem Americae meridionalis; quamobrem Portugali Brasiliam ibi condiderunt.

Post Americam a Christophoro Columbo fortuito inventam, viginti anni consumpti sunt in autochtonum regna bello subigenda novasque regiones explorandas, antequam anno 1513 Valascus Nunes Balboa ad litus occidentale huius Novi Mundi pervenit; tunc primum Hispani oceanum contemplaverunt sibi omnino ignotum, qui verisimiliter interiacebat inter Americam et Asiam. Quae cum ita viderentur esse, obstaculum Novi Mundi navibus circumeundum erat ad litora Asiatica petenda.

Quod facinus primus fecit Portugalus nomine Magellanus, auspiciis sumptibusque regis Hispaniae Philippi II. Velificavit secundum orientale Novi Mundi litus ad meridiem versus, quaerens navigabilem aditum in hunc oceanum ignotum, qui paucis annis ante inventus erat. Tandem anno 1520 aditum invenit, qui postea vocatus est Fretum Magellanicum. Transiit novum oceanum qui, cum situs esset ultra lineam foederis de Tordesillas nominati, iure patebat Hispanis.

Per totam navigationem oceanus ei tam tranquillus apparuit, ut nomen oceani Pacifici acciperet. Magellanus post iter trium mensium semis terram tandem adspexit: appellebat ad

insulas omnino ignotas, quae imprimis de Sancto Lazaro nominatae sunt, postea Philippinae in honorem regis Hispaniae Philippi II. Ipse Magellanus non perfecit orbis terrarum circuitum; nam necatus est in his insulis a quodam autochtone. Eius locumtenens nomine El Cano iter perrexit atque in Hispaniam appulit anno 1522.

Post hanc primam circumnavigationem novum foedus inter Hispanos et Portugalos necessarium erat, cum iam nulla linea separationis esset in antipodibus definita. Foedus factum est CaesarAugustae (v. Zaragoza) anno 1525. Portugali sibi reservabant omnes Insulas Specierum Aromaticarum, quae sitae sunt ad extremitatem orientalem meridionalemque Asiae. De insulis Sancti Lazari modo inventis non actum est; quare Hispani eas redegerunt in suam ditionem; factae sunt fines extremi eorum novi ingentisque imperii... tamen non statim post inventionem.

Godefridus enim Garcia de Loaysa tantum quinque annis post Magellanum (i.e. anno 1526), cuius viam secutus est, brevem stationem fecit in Philippinarum insula c.n. Mindanaum. Anno 1527 Alvarus de Saavedra a Mexico solvit, unde iter est brevius ad Philippinas petendas. Denique anno 1565 Andreas de Urdaneta bonam viam invenit, qua naves secundo maris tractu nactae a Philippinis ad Americam reverti possent, quod omnino necessarium erat ad commercium instituendum inter has duas regiones.

A quo tempore, id est quattuor decenniis post insularum Sancti Lazari inventionem, Hispani, duce Michaele Lopez de Legazpi, maximam insulam cui nomen Luzonia in ditionem suam redigere coeperunt atque urbem Manilam condiderunt. Nihil pretiosi nascebatur in his insulis nunc Philippinis vocatis, neque argentum ut in Peruvia, neque



Classis Olivarii de Noort solvit...



Melissa subaquanea

species aromaticae ut in insulis Moluccis². Administratio sustentabatur tributo regali a Mexico quotannis allato, quod constabat ex argento infecto.

Insulis Philippinis obiacet ingens imperium Sinense, ubi tunc regnabat stirps Ming nuncupata. In Sinis conficiebantur serica atque vasa «porcellana»³, quorum Europaei erant avidissimi. Sinenses autem regentes maxime egebant argento. His de causis ortum est prosperum commercium, quod maxime profuit insulis Philippinis. Manila, urbs caput ab anno 1571 facta, horreis tunc abundat; ibi sunt compita magnarum viarum commercialium. Res mira fit: antiquam famosamque viam sericam, qua ex Sinis in Europam transportabantur serica, aemulatur nova via serica eademque maritima, certe non brevior sed infestis gentibus carens. Longissima tamen via: traiectus 18.000 chiliometrorum trans oceanum Pacificum, deinde vectura trans Mexicum, denique alter traiectus 7.000 chiliometrorum trans oceanum Atlanticum usque in Hispaniam.



Huic conchylio nomen scientificum est "cypraea"; a Francogallis vocatur "venus", ab Italis "porcellana", cum videatur habere aspectum scrofae vulvae. Conchae cypraeae sunt teretes et nitidae, quare adhibentur ad exquisita vascula conficienda. Saec. XVI fictiliarii Sinenses superant Europaeos in delicatis vasis conficiendis. Fictilia Sinensia quae tunc temporis in Europam importari coeperunt idem aspectum nitidum habent ac cypraeae conchae; hac de causa ab Italis etiam appellantur "porcellana", nomen quod ceteri Europaei in suas linguas postea introduxerunt.

Haec nova via serica non diu mansit immunis hostibus. Divitias enim totius orbis terrarum solis Portugalis Hispanisque arbitrio Papae tributas esse tolerare non poterant aliae Europaeae nationes, imprimis eae, quae protestantes factae repudiaverant Papae auctoritatem.

Angli imprimis conati sunt Magellani facinus iterare. Sexaginta circiter annis post Magellanum Franciscus Drake secundus Europaeus est qui perficiat orbis terrarum circumnavigationem (1577-1579). In itinere breviter tantum appulit ad Mindanaum meridionalem Philippinarum insulam. Tertius nomine Thomas Cavendish, etiam Anglus, in itinere (1586-1588) imprimis praedatus est Hispanorum portus litoris occidentalis Americae atque magnam navem nomine Sanctam Annam cepit, quae pretiosissimis rebus onerata iter Manila

Acapulcum in Mexicum faciebat. Cavendish postea transiit insulas Philippinas per fretum Sancti Bernardini sine conflictu.

Quartus circumnavigator est Nederlandus nomine Olivarius de Noort. Eius navigatio⁴ ad narrationem nostram maxime pertinet.




Navarchus de Noort cum classe quattuor navium Roterodamo solvit die 12 mensis Augusto a. 1598. Multa detrimenta iam passus est in ambobus oceani Atlantici litoribus Africano et Brasiliano, cum Portugali eius obreptionem in suum praedium non tolerarent; unam navem tunc amisit. Post sesquiannum, id est mense Novembri a. 1599, tandem attigit introitum Freti Magellanici, in quem viginti diebus procellosis impeditus est ne penetraret. Iam circiter centum nautae perierant ab initio itineris.

In ipso freto Magellanico accidit ut expositi nautae lacesserentur contis hammatis indigenarum; nautae eos fugaverunt atque persecuti sunt usque in eorum speluncam, ubi omnes viros et mulieres trucidaverunt; nautae tantum paucis pueris pepercerunt, quos secum in naves duxerunt.

Paulo post Olivarius de Noort coactus est vicensavarchum Iacobum Claesz punire, qui saepius inobsequens esset. Eum reliquit in insula deserta paucis cum cibis... ☛

[sequetur]

Cfr adnotationes p. 6




Saec. XVI Portugali primi sibi mandant fictilia vasa in Sinis. Idem postea faciunt Hispani, qui coloniam deduxerunt in insulas Philippinas. In hoc disco in Sinis confecto depicta sunt arma regis Philippi II: crux florens ordinis Aviz, cuius inter brachia alternatim dispositae sunt turres geminae Castellae et leones ambulantes Legionis.

ADNOTATIONES

- 1 Portugalia: cfr Melissam 44 p. 14 et 46 p. 15.
- 2 Insulae Moluccae: hoc nomen legitur in mappa geographica Nederlandica XVII saeculi, cuius auctor est Iohannes Van Doetechum.
- 3 Vas «porcellanum»: adiectivum deductum a vocabulo Italiano «porcellana» (porcella, ae).
- 4 Ipse Olivarius de Noort de sua circumnavigatione rettulit in libro cui titulus Francogallicus «Description du pénible voyage d'Olivier de Noort». Hic liber Amstelodami editus est simul Nederlandice et Francogallice anno 1602. Eodem anno Francofordiae editus est Theodisce et Latine. Infeliciter textus Latinus nobis non fuit in promptu.

2. PIPER REX AROMATUM

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT



«Sed memini Safinium; tunc habitabat ad arcum veterem, me puero: piper, non homo. Is quacumque ibat, terram adurebat. Sed rectus, sed certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare.»

Petronii Satiricon, 44.

Piper a longinquissimis temporibus nobis lente allatum est. Etymologia videtur cum eo iter fecisse: in India vocabatur *pippali*; postea mundum Persarum transit, quorum alphabetum ignorat litteram *l*, atque in Graecia fit *πέπερι*. Eius fama tam magna est, ut Graeci neglegant myrti baccas antea usitatas. Deinde piper in Italiam pervenit, ubi fit synonymum opulentiae. Paulatim eius usus extenditur. Homines omnium ordinum volunt piper emere. Ut fieri possit, tollitur portorium Ostiense. Medii Aevi homines hanc speciem magni aestimant. In mensa postea apparent piperatorium et salinum; propter eorum colorem nigrum et album homines, qui barbam semicanam habent, vocantur «piper cum sale».

At cur piper tantum amatur? Quia, magis

quam ceterae species aromaticae, insimul habet et odorem delicatum et saporem fervidum. Nares imprimis permulcet, deinde praesentia sua calida inflammat carnem bovinam, excitat ova, extollit piscium suavitatem, ornat botulos, hilarat acetaria, effert embammata, etiam fraga honestat. Inest multis potionibus alcoholicis; qua de causa in Francogallia strenui potatores vocantur *poivrots*. Re vera piper videtur pertinere ad totius generis humani palatum, cum ubique sit in promptu una cum sale.

Virtutes habet innumerabiles.

Imprimis dicitur esse «eupepticum», id est digestionem utile. Nam stomachum excitat. Si stomachum fovet, necessario fovet totum corpus. Itaque putatur esse aphrodisiacum, sicut crocus et zingiber, quae etiam numerantur inter species «calidas».



Vim habet «antibioticam». Qua de causa prioribus temporibus homines solebant sacculum piperis plenum secum gerere. Eadem de causa botularii botulos farciunt pipere. Sitis tamen cauti in cibis eligendis: nam suspicor microbia esse multo astutiora quam grana piperis, atque inter regionem productionis (saepe longinquam) et catinum nostrum multas occasiones praebere, quibus microbia cibos invadant.

Aegyptii botulos minus curabant quam corpora medicata. Etiam in hac arte piper habuit suum officium. Sic factum est ut Ramses II nasum

haberet refertum granis piperis, quibus structura nasi sustineretur, ut nostris temporibus fieri solet in chirurgia plastica - non granis piperis, sed materiis plasticis adhibitis.

Etiam pelliones diu usi sunt pipere, quo pelles tractatae melius servarentur.

Ne multa, piper habet omnes virtutes. Itaque locus ei est in theriaca, remedio absoluto, mixtura omnium rerum qua omnes morbi sanari dicuntur. Vultisne scire quid insit praeter speciem nostram aromaticam?

Ecce formula:

De Antidotis & opiatis.

Theriaca Andromachi senioris.

Rx. Trochiscorum scylliticorum, ꝑvj.
Trochiscorum de viperis,
Trochiscorum hedychroi,
Piperis longi,
Opii thebaici, Ana ꝑiij.
Rosarum rubrar.
Rad. iridis florentinae, pro illyrica
Succi Glycyrrhizae,
Seminis napi Sylvestris,
Scordij Cretici,
Olei nucis moschatae, pro opobalsamo,
Cinamomi,
Agarici, Añā ꝑjß.
Myrrhae Troglodyticae,
Costi candidi,

Croci Orientalis,
Cassiae nigrae aromaticae,
Nardi Indicae,
Schœnanthi Arabici,
Piperis nigri & albi,
Thuris masculi,
Dictamni Cretici,
Rha Pontici,
Stœchadis Arabicae,
Marrubij virentis,
Seminis petroselinæ Macedonicae,
Calaminthes montanae,
Terebinthinae Chiae,
Radice pentaphylli,
Zingiberis, Añā ꝑvj.
Polij Cretensis,
Chamaepityos,
Nardi Celticae,
Acori, pro amomo,
Syracis calamitae,
Meu Athamantici,
Chamaedryos Creticae,
Phu. Pontici,
Terrae Lemninae,
Foliorum Malabathri, vel
Chalcitidis vstq̄,

Radice gentianae,
Gummi Arabici Vermiculati,
Succi hypocistidis,
Cubeborum, pro carpobalsamo,
Seminum anisi,
Seseli, eos,
Cardamomi,
Fœniculi,
Thlaspeos,
Ameos,
Comae hyperici,
Acaciae,
Sagapeni, Añā ꝑiiiiij.
Castorij Pontici,
Radice aristolochiae tenuis,
Bituminis Iudaici,
Seminis dauci Cretici,
Opopanacis,
Galbani,
Comae centaurij minoris, Ana ꝑij.


Vini generosi veteris quantum sufficit, succis, liquoribus, & gummis dissolvendis.

Mellis Narbonensis, aut alterius optimi, pro Attico triplum ad conficiendum opiatum.

Antidotarium Gandavense, Gandavi a. 1663

Nostris temporibus una virtus adhuc agnoscitur: piper orexin excitat. Nigrum et album magis novimus quam piper longum, ex insula Iava oriundum, quod Medio Aevo fuit in usu. Ceterum multae species aromaticae, quibus nomen datum est piperis, re vera non sunt, sed pertinent ad aliam familiam botanicam: inter quas «piper Caiennense»,

«piper Guineanum», «piper rosaceum».

Piper est rex specierum aromaticarum: nam regnat in omnibus mensis. Ut exemplum afferam, anno 1980 in orbe terrarum comesae sunt 124.285 tonnae piperis. Ei, qui piper non ament, sunt rarissimi; inter quos imprimis nominandi sunt... feles. 

ANTHOLOGIA E "IUVENTUTE" (1910-1944)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

1. LECTORIBUS SALUTEM! (*Iuventus*, I, 1, Cal. Ianuariis 1910)

Annus 1

1910. Calendis Ianuariis.

Numerus 1.

IUVENTUS

EPHEMERIS IN USUM IUVENTUTIS STUDIOSAE

MODERATOR EPHEMERIDIS

ADMINISTRATOR EPHEMERIDIS

Dr STEPHANUS SZEKELY

ADALBERTUS DANCZER

Budapestini, IX, üllői-út 71,

Budapestini VIII, Jozsef-körút 48,

ad quem epistulae, manuscripta, libelli et
interrogationes mittendae sunt.

ad quem pecuniae quaecunque dirigantur.

Prodit Budapestini Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. - Pretium
annuae subscriptionis est 4 coronae, semestris 2 coronae.

LECTORIBUS SALUTEM!

En habetis ephemeridem Latinam, quam vobis
promisimus!

Grato animo accipiatis IUVENTUTEM, quae
vos omnes et maiores et minores pari amore
amplectitur; ideoque consilium est nobis ita
scribere, ut ab iis quoque intelligamur, qui linguam
Latinam paucos ante annos discere coeperant.

Qui IUVENTUTEM legent, tempore non solum
opera scriptorum Romanorum facilius in sermonem
Hungaricum convertent, sed etiam ea, quae ipsi
cogitant, melius latine exprimere poterunt.

Quod ut efficiatur, communicabimus vobis
descriptionem morum, quibus populus Romanus
in vita quotidiana utebatur; item commentarios
veteres, qui de originibus Hungarorum agunt.
Curabimus, ut etiam hilaritat[i] in IUVENTUTE
locus detur, quia instructionem aequae ac
oblectationem vobis praebere cogitamus.

Quamobrem rogamus vos, iuvenes carissimi,
ut nobis de vita scholae nuntios, aenigmata, et alia
huiusmodi latine conscripta mittatis. Iam
videbitis, quid viribus unitis assecuturi simus.

*
* *

2. MENS SANA IN CORPORE SANO (*Iuventus*, I, 2, Idibus Ianuariis 1910)

Hiems est. Montes alti nive candidi sunt.
Homines, qui foris versari coguntur, pellibus se
contra frigus muniunt; qui autem cubiculis se
tenent, in foco large ponunt ligna.

Nos non timemus frigora, sed prodimus in
aperta, ubi nos planities glaciata manet. Sumuntur
igitur soleae ferratae, pedibus aptantur et glacies
momento temporis flexibus maximis pervolatur.
Pulmones nobis crescere sentimus viresque corporis
augeri, dum prudenter moderateque gaudiis glaciei
perfrui mur.

Alia occasione in collem urbi vicinum
excurrimus, unde trahea parva velocissime

delabimur.

Interdum militiam ludentes glebulis niveis nos
inter nos petimus, donec altera pars victrix evadit.

Haec fere sunt gaudia hiemis, quibus non
solum tempus iucunde teritur, verum etiam corpus
apte exercetur. Quod magni momenti est, quia
exercitatio corporis par esse debet exercitationi
animi. Alterum non est cum damno alterius
exercendum. Velut perperam agit qui semper intra
parietes sedet, sic pessimum sapientiae
testimonium praebet qui neglecto animo semper
corporis exercitationibus operam dat. (...)

*
* *



3. NUNTII RECENTISSIMI (*ibidem*)

Calamitas Leopolitana. In spectaculo cinematographico Leopolitano complures pyroboli disiecti sunt, qui quamquam ioci causa confecti maximo fragore displodebantur. Qui aderant vehementi concussionem perterriti, mente capti subito ad portas se proripere voluerunt, ita ut prae turba tres discipuli exanimati, sex mortifere vulnerati, septemdecim leviter compressi sint. Ex his duo vulneribus succubuerunt; calamitas ergo quinque homines poscebat. Pyrobolos fures disperserunt, ut eos, qui ludos spectabant, exterterent et sic in tumultu perplexe agere possent.

Leopoldus II, Belgarum rex, septuagesimum quartum annum agens, Bruxellis vita excessit. Quoniam filium non reliquit, Philippi comitis Flandriae filius Albertus, qui anno millesimo octingentesimo septuagesimo quinto est natus, regi successit.

Valetudo **Ludovici Blériot,** qui cum aëroplano deciderat, Viennae adeo refecta est, ut Parisios proficisci potuerit.

*
* *

4. NUNTII RECENTISSIMI (*Iuventus*, XXVIII, 5, mense Ian. 1944)¹

Nuntii diversi. Orbis terrarum animum Anglo-Saxonibus invasionem Europaeam praeparantibus intendit, nam fere omnes dicunt exitum belli in successu invasionis positum esse. Ceterum Britannii in angustiis sunt, qui integritatem Poloniae defensuri bellum Germanis intulerunt, nunc tamen, ne benignitatem auxiliumque Russorum amittant, indulgere coguntur bolsivistis partem orientalem Poloniae suam vindicantibus. Interim Anglo-Saxones die noctuque pyrobolis cives urbium

hostilium non pugnantes trucidant, aedificia, monumenta diruunt, liberos parvos Itolorum in Russiam ad bolsivistas mittunt, statuas, picturas aliaque opera artis ex Italia in Americam portant. Haec est illa toties iactata humanitas democratica! Quae cum ita sint, nos quoque cum Sancto Patre Pio XII omnibus precibus oramus, ut Omnipotens hoc demum anno donet generi humano se ipsum bestiarum more laceranti pacem iustam diuturnamque.

*
* *

5. EX EPIGRAMMATIBUS MICHAELIS VÖRÖSMARTY (*Iuventus*, XXVIII, 6, mense Febr. 1944)²

Arx Sigeth
Hungare, collapsum si murum ascenderis arcis,
ob casum ne des tristia dicta querens.
Hic cum milite Zrinyi iacet, sed gloria lucet.
Vox plangens turbat somnia magnifica.

Atila
Irae, terribilis totiens victor, populator
ignotâ terrâ tectus Atila iacet.
Ille, deûm flagrum, punitum venit in orbem:
ut rapidum fulgur diruit, ussit, abit.

Bustum duorum puerorum
Ne lacrimas pater, o, quod descendi in tumulum hunc, nam
ad fratrem parvum lusum ego devenio.

*
* *

6. VALENTINUS FEHÉR O.S.B.³, SOCORS ADOLESCENS (*Iuventus*, XXVIII, 9, mense Maio 1944; 10, mense Iunio 1944)

Olim mulier quaedam pauper habebat filium socordem. Qui cum adolevisset, a matre missus est operam suam alicubi locatum. Adolescens in pago propinquo suam operam cuidam villico locavit. Anno circumacto villicus interrogavit quid ipsi deberet. Adolescens dixit se plurimum cupere neque id dicere audere, cum timeret ut id acciperet. Tandem multum rogatus et coactus dixit se acum petere. Ei petenti satisfit. Domum rediens currum stramento onustum conspexit. Statim aggressus acum in stramentum inseruit. Sed cum currus in aliam viam deflecteretur, clamare coepit: «Eho, state! Mercedem annuam, quam in stramentum condidi, non reperio.» Homines toto curru permixto nil reperiunt. Tandem interrogant adolescentem: «Quanta pecunia fuit?» - «Non pecunia, sed acus fuit.» Tum homines indignantes eum verberibus abegerunt. Cum domum redisset, mater interrogavit quid meruisset. «Acum merui», respondet ille, «sed eam in currum stramento onustum condidi neque repperi.» «Heu te stultum», ait mater, «acum pileo affigere itaque domum ferre debuisti.» - «Agedum, alias sic faciam.»

Adolescens abiit et furcam meruit. Furcam pileo affixit et domum redibat. Puteum conspicatus declinato capite introscepit. Pileus una cum furca in puteum cecidit. Cum domum redisset, mater interrogavit quid meruisset. «Furcam merui et pileo affixi; sed cum in puteo introscepissem, furca in puteum cecidit.» - «Non ita facere debuisti», ait mater, «sed umero ferre et hic domi ad parietem iacere.» - «Alias sic faciam.»

Adolescens rursus abiit et vitulum meruit; quem pedibus colligatis umero imposuit. Cum domum redisset, sic vitulum ad parietem iecit, ut is statim moreretur. Mater cum strepitum audisset, e domo egressa vitulum mortuum vidit. «Quid tu, stulte, fecisti?» - «Ita feci ut tu dixisti.» - «Heu te stultum! Nam iste mortuus est.» - «Tamen vitulus est» respondet adolescens. - «Non ita hunc domum ferre debuisti, sed funem circa collem ligare et vitulum extremo fune verberare et dicere: «Age, vitule». Hic domi eum in stabulo deligare et fenum ei obicere debuisti.» - «Agedum, alias sic faciam.»

Adolescens abiit et puellam meruit. Domum rediens funem circa collum puellae ligavit et extremo fune eam verberans dixit: «Age, vitule». Cum domum redisset, eam in stabulo deligavit eique fenum obiecit. Tum ad matrem intravit. «Merui, mater, pulchram puellam, quam in stabulo deligavi eique fenum obieci; tamen illa nescio cur edere recusat.» - «Ne tu asinus es», ait mater. «Nam eam in cubiculum ducere et considerare iubere et pulchros oculos in eam conicere debuisti.»

His auditis adolescens statim puellam in cubiculum introduxit. Deinde transiit ad vicinum, ubi plurimi anseres erant. Oculos pulcherrimorum effodit et rediit in cubiculum et oculis plurimis anserum puellam paene usque ad mortem cecidit.

Tum mater dixit ei ut irent in silvam et afferrent ligna, quibus ad nuptias coquerent. Postquam inde redierunt, mater eis ad iter lucuntem et gallum coquit. Illi ianuis clausis vitulum in furnum intrudunt ut torreretur, et clavem in suggrundam condunt. Ut in silva ambulant, iuvenes reses cingarum conspicatus inclamat: «Noli domum nostram intrare aut furari vitulum, quem in furnum intrusimus; ne attingas clavem, quae est in suggrunda.» His auditis cingarus recta domum petit et vitulum furatur. Adolescens stultus ambulans canem conspicit morticinum, qui ringebatur. Ille timore perteritus assum gallum ei obiicit, ne ab eo morderetur. Ut iter continuat, conspicit aquam parvulam, lucuntem pro ponte ponit in longitudinem itaque aquam transgreditur. Tum uxor eius esuriens dixit: «Trade mihi gallum et lucuntem, quia valde esurio.» - «Gaude», ait adolescens, «me non esse mortuum. Canis me mordere voluit atque mari magno paene haustus sum; ergo gallum dedi cani, ne morderer, lucuntem pro ponte posui, ne haurirer.» - «Heu te stultum! Canis enim morticinus, aqua vero rivulus erat.»

Cum domum redissent, vitulum non reperiunt. Iuvenis matri dixit: «Haud scio an musca, quae in fronte avi est, vitulum comederit. Ego iam eam caedam.» Et securi, qua lignum in silva ceciderat, ita frontem avi percussit, ut avus statim moreretur. Ubi nuptiae venerunt, uxor dicit ei: «Si pedem tuum impulero, ne amplius edas.» Ut edunt, feles pedes iuvenis transsilit. Iuveni frustra cibus offerebatur, nil amplius ille edit. Postquam in tectum pro consuetudine ascenderunt ut dormirent, iuvenis famelicus dixit uxori: «Esurio». «Descende», ait uxor, «et comede lucuntem qui in scamillo est.» Iuvenis sex feles parvas in scamillo repertas comedit. Postquam ascendit, dixit uxori: «Qualem vos habetis lucuntem? Pilosus enim est.» - «Num catulos felis comedisti?» - «Hercle eos, nam cum edebam vagiebant.» Deinde, cum iuvenis sitim collegisset, dicit uxor: «Descende, in culina est urceus; ibi est etiam situla colluvionis, ne bibas de ea.» Iuvenis descendit et omnem bibit colluvionem. Ubi ascendit, dixit: «Hei quam acrem aquam habetis!» «Nunc», inquit uxor, «colluvionem bibisti. Iam abeamus hinc, quia multa damna fecimus.»

Abierunt atque etiam nunc eunt, nisi mortui sunt.

*
* *



7. ROBINSON CRUSOE. LATINE SCRIPSIT DR. STEPHANUS PROBUS SOLNENSIS (*Iuventus*, I, 2, Idibus Ianuariis 1910 [fragmentum])

Vir quidam Hamburgensis, cui nomen erat Robinson, tres habuit filios. Horum maximus in bello vulnere mortifero confossus cecidit. Minor quoque immatura morte abreptus est. Etenim cum forte aestu sudaret, avide hausit aquam gelidam; inde inflammatione pulmonum correptus brevi tempore vitam posuit. Itaque e tribus nullus

supererat praeter minimum, qui Crusoe appellabatur. Hic fratribus mortuis nimia indulgentia parentum paene corruptus est. Illico ei, quidquid poscebat, tribuebatur; emebatur quidquid affectabat. Semper ludebat, rarissime seriis vacabat studiis, numquam opus ullum, quod corporis viribus exercetur, faciebat.

*
* *

«*Iuventus*. Ephemeris in usum iuventutis studiosae» anno 1910 auctore Antonio Pronay († 1914), magistro Scholarum Piarum, Budapestini est condita; indidem bis in mense primum emittebatur, tum (inde ab anno 1917) singulis mensibus (exceptis Quintili Sextilique). Mortem passa anno 1919, resurrexit revixitque anno 1926 et ad mensem Octobrem anni 1944 novam eam traxit vitam. *Iuventutem* moderati sunt Stephanus Székely, Iosephus Irsik (Irsy), Iosephus Wagner Budapestinensis. Continebantur autem eis libellulis nuntii recentissimi, fabellae et narratiunculae, aenigmata, epistulae, colloquia scholastica, ioca, excerpta e scriptoribus Latinis recentioris aevi et recentissimi, versiones, carmina. Quae cuncta facili et expedito explicabantur sermone. Nam, alia ut mittam, carmina rhythmica metricis anteponebantur verbaque diffiliora adnotatiunculis trilinguibus Hungarice, Gallice, Theodisce

vertebantur. Inde factum est ut *Iuventus* maxima lectorum corona superbiret. Etenim anno 1939 legentium numerus supra MMM excessit.

De commentariis eis vide quae scripserunt J. Dutoit, «De 25 annis *Juventutis*», *Societas Latina*, 9 (1941), 65-66; J. Wagner, «*Iuventus* Budapestinensis», *Per lo studio e l'uso del latino*, I (1939), 73-74, D. Sacré, «Le latin vivant: les périodiques latins», *Les Etudes Classiques*, 56 (1988), 91-104 (p.99).

ADNOTATIONES

- 1 Latinitatis tantum causa exscripsimus.
- 2 Michael ille (1800 - Budapestini 1855) praeclarus erat poeta et fabularum scriptor. Epigrammata eius nonnulla Latine vertit Aladarus Szemkö Budapestinensis.
- 3 Obiit anno 1942.



MUSA LATINA



PENTAMETER LUSUS

CECINIT THEODORICUS SACRÉ

Intueor speculum: respicio puerum.

Respicio ad speculum me videoque virum.

Vir videt in speculo, prospicit atque senem-
obtutuque uno vita fugit citius.

JOSEPH WEINHEBER (1892-1945), ANBETUNG DES KINDES
IN LATINUM TRANSTULIT VILLIUS PFAFFEL

Ut tenerum iubar
ortus es e caelo.
Cresce nec interi,
o Deus atque homo!

Te petimus, clemens,
rebus in extremis,
advenias ad nos,
Te et Mariam matrem.

Regem, humiles cives,
nos, dominos servosque,
ah! miseros videns
redde pios!

Quaerimus ipsum Te
nec speciem vanam!
Solve animos duros
et glaciem cordis!

Ne quis homo alteri,
fac, noceat volens!
Duc animas sontes
aetherium ad thronum!

Dona tuam pacem
pia volentibus:
Gloria, vis tibi est,
nato homini ac Deo.



AD STEPHANUM BORZSÁK OCTOGENARIUM
CECINIT ADALBERTUS NÉMETH DISCIPULUS

Sedecim lustris tibi nunc peractis
Quid decet fari? Dominumque pro Te
Quo modo votis veterum precari,
Care magister,

Quasque verbenas solitis requiram,
Quosque nunc tauros Superis deorum,
Qualem et Infernis meritamque laudem
Dicere possim?

Nam cano Eubulum, quia non necavit
Marte Te saevo, quia non necavit
Rebus angustis socioque bello
Aequum et iniquum,

Deinde Fortunam, quia permanebat
Tecum, et hanc laudo, Tibi namque semper
Pertulit summas sine fine curas,
Aequam et iniquam,

Phoebum item laudo, quia luce pura
Aspicit quosdam, tibi, clare dictis,
Quae dedit, servat, placidoque voltu
Accipit altum,

Et Iovem laudo, quia semper idem
Regnat et regnet, numerisque mundi
Cuncta sublimis reget et labores
Inspicet altus.

Herculis ritu, quibus est honori
Invidas artes superasse factis,
Caelitum vitam tetigisse gaudens
Flacce poeta,

Docte Lucreti similisque Naso,
Vergili Manes, Tacitique summi!
Tempus advenit, decorate digno
munere amicum.

Qui solet vere graviterque rectum
Dicere et virtutem adamavit illam
Qua decet summas reperire laudes
mente serena.

Di, deaeque omnes, precibus piorum
Ferte doctorum Stephano coronam et
Sedecim lustris bona iam peractis
iungite fata.



TEXTUS, QUI «HAIKU» DICUNTUR

(SECUNDUM R. BARTHES, *L'EMPIRE DES SIGNES*, GENAVAE 1970)

IN LATINUM TRANSTULIT MARCUS LAKEBRINK

Advenio ex
Montibus; en res
Dulcis: viola!

Taurum trans flumen
Parva traducit ratis
Pluvia nocte.

Vetus hoc stagnum
Insiliente rana
Rumore strepit.

Ventus hiemis
Flat. Felium oculi
Lucent nictantque.

Nox paene acta...
Nonum ego surrexi
Miratum lunam.

Piscator, casa
Sapiunt siccum piscem
Atque calorem.

Quam mirus, cui non
Sit visum aevum breve
Viso fulgure!

Cupido etiam
Instigatur oculis
Ad fungos flexis.

Prima nix cadit.
Mane sum oblitus os
Meum lavare.

Autumno noctu
De parentibus tantum
Mecum cogito.



ANNA PERENNA

CECINIT IANUS NOVÁK (in: *Carmina Latina recentiora*, Leichlingiae, Domus editoria Rainardi Brune, 1975).

amo annam
ut dixi iam
sed nondum habeo hanc rem certam
sciatne anna
anne
anna nesciat
me amare eam
a talis usque ad comam
nec me nosse aliam
tam bellam tamque lepidam
et velle me totam
et corpus atque animam

obsecro amoris deam
flagito deam auream:
o venus
protenus
fac mihi eius copiam
faciem vide sis meam
afflictam atque pallidam
fac ut denuo viream
noli me perdere misere
sed benignitas tua efficiat
ut mihi commode
annare perennareque liceat.

DE CERTAMINE CICERONIANO

REFERT FRANCISCA DERAEDT

Euge! Macte! Pulchre! Coco coco! Inter 475 candidatos Certaminis Ciceroniani, quod Arpini inter discipulos scholarum Europaeorum ante paucas septimanas commissum est, quinta laureata fuit quaedam Belgis. Atque non parum efferimur quod illa Belgis, sedecim annos nata, est... sodalis nostra Annula Castillo, quam in fasciculo praeterito iam scripsimus esse Latinitatis vivae amantissimam (cfr eius symbolam de Iohanne Memling, Melissa 65, p. 7).



*Annula Castillo:
16 annos nata, sed iam experta.*

Certamen Ciceronianum participare solent optimi discipuli omnium nationum. Hoc anno neque Francogalli neque Angli adfuerunt, sed multi oriundi e regionibus orientalibus, qui nullam occasionem praetermittere volunt certaminum

temptandorum Europaeque participandae.

Certamen dicitur esse difficile: imprimis textus Ciceronianus vertendus est in linguam vernaculam, postea commentatio conscribenda de ipso themate. Propter ipsam commentationem conscribendam inspector linguarum classicarum, ad quem pertinet schola Annulae, praenuntiaverat fieri non posse, ut Annula certamen superaret. Pulchra hortatio, qua adducimur ut eius qualitates paedagogicas iudicemus non ita bonas...

Is, qui palmam meret (praesertim decem primi) in patriam rediens festivis gratulationibus accipi solet. In Belgica tamen res non sunt tam simplices, quam in ceteris regionibus. Nam patria nostra ita divisa est, ut vix quicquam adhuc fiat unanimiter. Itaque exspectandum erat, ut Flandri Flandros laureatos, Francophoni Francophonos celebrarent. Quid autem accidit? Francophoni sive non putaverunt rem esse dignam, sive pecuniae suae parcere voluerunt, atque nihil huius modi fecerunt, quamvis prima laureata esset una ex eis. Iam putabamus eam flagitiose derelictum iri, cum audivimus gubernatores Flandros, qui propter hanc causam videntur esse sive minus sordidi sive divitiores sive excultiores, Annulam nostram non solum cum ceteris esse celebraturos, sed etiam praemiis multis et pulcherrimis donaturos. Haec est nova quaedam «fabula Belgica», ut apud nos dici solet.

Ei ergo plurimum gratulamur. Ceterum vobis nondum narravimus quid Annula post studia secundaria facere vellet. Vult fieri magistra Latinitatis... fere scripsimus «Latinitatis vivae», cum omnem spem in ea similibusque juvenibus ponamus! ☞

IN HONOREM
HUMANISTAE ERYCII PUTEANI (1574-1646)

ANTE 350 ANNOS MORTUI



ARACHNE

SCRIPSERUNT IELLA VAN LEENE ET ILONA VERDUYN

Iam anno praeterito discipulae Dominae Desmedt, quae docet in schola c.n. «Mevrouw Courtmansschool» in Belgica urbe Maldegem, ostenderunt se esse linguae Latinae amantissimas atque ad nos miserunt narrationes Ovidianas, quas

ipsae ex textu Ovidiano conscripserant.

Iterum duae discipulae tertii anni, Iella van Leene et Ilona Verduyn, vobis proponunt fabulam ex Ovidii opere excerptam.

OVIDIUS, METAMORPHOSES VI, 1-145: ARACHNE.

Maeonia Arachne, - pater huic Colophonius Idmon. Mater huic mortua est - nec loco nec origine gentis, sed lanifica arte clara est. Scires a Pallade doctam. Quod ipsa negat et offensa Pallada ad pugnam provocare audet. Pallas anum simulat, falsis in tempora canis addendis et infirmis baculo artibus sustinendis et Arachnen adit. Tum orsa est loqui: «Tibi fama inter mortales, sed non inter deas immortales faciendae maxima lanae petatur. Cede deae Palladi et supplici voce veniam roga. Veniam dabit illa roganti». Arachne autem iram vultibus retinens talibus dictis Pallada resecula est: «Consilii satis est in me mihi. Tibi filia et nurus istas voces audiant. Cur Athena ipsa non venit? Cur haec certamina vitat? An timet?» Tum Athena dicit: «Venit». Omnes perterriti sunt, sed non virgo. Haud mora. Ambae diversis partibus constituunt et gracili stamine geminas telas intendunt. Pallas Athenarum historiam - pugnam inter se ipsam et Neptunum -

pingit. Arachne autem Maeonis imagine tauri Europam elusam et Asterien tentam aquila luctante et Ledam recubantem sub alis olorinis et Iovem celatum satyri imagine, qui Nycteida gemino fetu implevit, et Iovem, qui Tiryntia fefellit, et historiam Danaes, et multas alias deorum historias pingit. Non Pallas, non Livor illud opus carpere possit. Flava virago successu Arachnes dolet et pictas vestes rumpit. Tum ter quater Idmoniae Arachnes frontem radio de monte Cytoriaci percutit. Infelix Arachne non fert et animosa guttura laqueo ligat. Pallas miserata Arachnen levat et dicit: «Vive quidem, pende tamen, improba. Lex eadem poenae dicta tuae generi et seris nepotibus esto». His dictis, discedens sucis Hecateidos herbae spargit et ecce: comae defluunt, et cum his et naris et aures. Fit caput minimum. In latere exiles digiti pro cruribus haerent. Cetera venter habet, de quo illa stamen remittit. Sic aranea antiquas telas exercet.

28

COLLOQUIUM INTERNATIONALE

IN CATHOLICA UNIVERSITATE LOVANIENSI

INSTITUTUM A SEMINARIO PHILOLOGIAE HUMANISTICAE ET ORBE NEOLATINO

7-9 M. NOV. A. 1996

Qui participare vel verba facere cupit, scribat ad

Prof. Dr Theodoricum Sacré
Seminarium Philologiae Humanisticae
Katholieke Universiteit te Leuven
Faculteit Letteren
Blijde-Inkomststraat 21
B-3000 Leuven



LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

SEMINARIA LATINA

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 30 mensis Iulii in diem 5 mensis Augusti a. 1995
supra lacum "Quattuor Regionum"

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
Postfach 1150
D-66041 Saarbrücken

Vavriae (Wavre) in Belgica a die 11 in diem 18 mensis Augusti a. 1995
non longe ab urbe Bruxellis

Scribatis ad: Gaium Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

SEPTIMANA LATINA AMOENEBURGENSIS

"Latine loqui - Romane coquere - Latinitatem inter nationes"

Amoeneburgi (apud Marburgum) in Germania a die 6 in diem 12 mensis Augusti a. 1995

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser
Kleeberger Strasse, 40
D-35510 Butzbach

FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 27 mensis Augusti in diem 3 mensis Septembris a. 1995

Scribatis ad: Clementem Desessard
Résidence des Collines, C 9
500, Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

SEMINARIUM BRUNENSE

in urbe capite Moraviae: orationes, relationes, scholae, exercitia, colloquia, cantica, concertus, ludi...

Brunae a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1995

Scribatis ad: Ingam Pessarra
Nordstrasse, 39
D-59174 Kamen

SEMINARIUM ATTICUM

Quamquam hic non agitur de lingua Latina viva, quae nobis praecipue est cordi, institutionem linguae Graecae antiquae nuntiis Latinis libenter adiungimus, quippe quae maxime pertineat ad cultum civilem Europaeum. Sed rem decet Graece nuntiare: ΠΑΡΑΚΛΗΣΙΣ ΠΡΟΣ ΔΙΑΛΟΓΟΥΣ ΕΛΛΗΝΙΚΟΥΣ - Διαλεγόμενοι καὶ περὶ τῶν καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν πραγμάτων καὶ φιλοσοφούντες αἰθίς χρῆσθε τῇ φωνῇ τῇ τῶν Πάλαι Ἑλλήμων.

**A die 25 mensis Iunii in diem 9 mensis Iulii a. 1995 et
a die 27 mensis Augusti in diem 9 mensis Septembris a. 1995**

Scribatis ad: Andream Dreki
Hellenikon Idyllion
GR-25100 SELIANITIKA - EGION